Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1325

Quelle:
Copyright:



rum, universaque Jurisdictione ecclesiastica agitantibus magno usui esse possint.

## CCCXL.

431 Codex membraneus lat. Sec. XV. Foliorum, quorum multa vacant, 204. 4. charactere nitido, et frontibus Opusculorum picturatis, continet: I. *Magistri Stanislai de Znoyma* Universit. *Pragenae* Prof. de quo diximus saepius Tractatum Theol. *de Peccato et Gratia*, qui incipit: *Cum sit necessarium deplangere et odire, persequi et detestari crimina, quibus anima mortificatur* &c. et finit: *Hec ad presens sint collecta de peccato et gratia in generali. Deo gratias amen. Explicit hic tractatus de peccato et gratia Magistri Stanislai labore editus sacre Theologie professoris Anno domini, MCCCCX°.* *Fol.* 73. sequitur Adpendicula de Homine in Statu Innocentiae.

II. *fol.* 83. et deinceps varia *Joh. Wiclefi* Scripta sequuntur, quae mireris ab eadem manu in eodem Codice cum *Stanislao* praecedente conjuncta fuisse. Primum est *de Simonia*, et nobis incipit: *Sentencia tractatus de symonia capitulariter sic habetur. Capitulum primum declarando tres modos hereſis ostendit* &c. *Balaeus* et *Tannerus* aliud initium statuunt: *Heu magni Sacerdotes in tenebris* &c. Sed istud fortasse *Prologi* sit, qui a *Codice* nostro abest. Finit Noster: *Ad quod ipse moveat qui super totam ecclesiam semper regnat.* Addidit infelix Metrificus:

*Explicit hoc verum conculcans symonis clerum*
*Cunctos cum papis monachis ceterisque prelatis.*

III. *fol.* 133. absque titulo ejusdem *Wiclefi Speculum militantis Ecclesiae*, citatum a Bibliographis supradictis. Initium ejus est: *Cum idemptitas sit mater fastidij* &c. Finis: *ut veritati fructuose consentiat in hac parte.* Redibit saepius, alio nomine *Dialogus.*

IV. *fol.* 157. p. 2. absque titulo Ejusdem, ut non dubito, *Responsio ad XLIV. Quaestiones* hoc initio: *Quidam doctor vtinam veritatis nititur impugnare sententiam quam sacerdotes fideles predicant tamquam fidem nec est illis vis quod vocentur a satrapis ydiote* &c. *Secunda Quaestio* versatur circa potestatem sacerdotalem et regalem in Jesu Christo unitam et summo pontifici et imperatori diuisim diuinitus commissam. *Tertia* circa derivationem omnium legum ab hac duplici potestate &c. Ultima *Quaestio* seu verius *Thesis* est: *Quicunque opposita premissarum questionum contra Romanam ecclesiam pertinaciter asserit seu defendit semet ipsum excommunicatum et hereticum euidenter ostendit.* Finis: *et patris mendatij nequitia dominetur.* Pluribus hoc Scriptum indicavi, cum e *Balei*, *Whartoni*, *Fabricii*,